

## ***VIR CUM SACCO AD IULII VILLAM ADVENIT***

In Iulii villa pater, mater et liberi eorum dormiunt.

Cur dormiunt ii ? Quia fessi sunt.

Sed ecce, iam Iulius dormire non potest, quod vir crassus villae ostium pulsat.

Ostiarius, qui hominem pulsare audit, ostium aperit atque eum interrogat cur illic est. Vir se fessum esse respondet et interrogat: “Potestne homo fessus, qui cum magno sacco ambulat, lectum accipere et in hac villa dormire?”

Iulius ipse, qui iam advenit, respondet: “Certe, amice mi; nemo in mea villa lectum accipere non potest! Age, veni!”, et virum ad parvum cubiculum ducit; id prope cubiculum Iuliae est.

Cum in cubiculo est et Iulius ab eo discedit, vir ad lectum adit et in eum ascendit. Num vir dormit? Non dormit, exspectat autem ...

Cum Iulius in cubiculum suum revenit, homo saccum suum vacuum sumit, e cubiculo exit cubiculumque parvae puellae quaerit.

Cum id reperit, intrat et puellam, quae sola dormit, in magno sacco ponit. Iam dormit puella? Ea dormit, nec virum eam capere sentit, ergo neque se movet neque alios homines vocat.

Itaque vir improbus in hortum intrat et sub arbore sedet, puella enim crassa est atque is fessus est.

Sed ostiarius, qui stultus non est, eum videt et saccum cum puella quoque videt.

Ergo ramum carpit et eo virum pulsat. Iam is perterritus est atque procul a villa Iulii, sine puella in sacco, currit.

*Nadia Lazzarini*